



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Iob, Liber Vigesimo  
Quarto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

quando ne eam virtus possit extollere, per flagella compellitur quid sit ex propria infirmitate sentire. Corruptioni videlicet appropinquat; quia ex suis se viribus perditioni proximum non ignorat: ut hoc quod à perditione longè est, non sibi, sed Domino tribuat. Appropinquat verò mortiferis: quia ex infirmitate carnis proximum se peccatis mortem ferentibus respicit: à quibus divino munere tantò magis longè sit, quantò se eis proximum ex suis meritis deprehendit. Per contemplationem conditionis suæ David corruptioni appropinquaret, cum dicebat: *Memento Domine, quod pulvis sumus: homo sicut fennum dies eius.* Per contemplationem quoque infirmitatis propriæ Paulus mortiferis appropinquaret, cum dicebat: *Videō aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Corruptioni ergo & mortiferis appropinquare, est considerata infirmitate humanitatis suæ, peccatorem se ex suis meritis cernere, atque apud se arrogantiam ex propriis viribus non habere. Quid enim sumus, si à conditoris nostri protectione deseramur? Quæ nimirum protectio minùs necessaria creditur, si semper habeatur. Sed utiliter plerumque subtrahitur, ut sibimetipsi homo quàm sine illa nihil sit, ostendatur. Manus igitur Dei aliquando nos nobis per adversa insinuat, quæ etiam nescientes nos in prosperis portat. Qua destituti dum cadere incipimus, & tamen adjuti retinemur: & doctrina fit quòd in lapsu trepidamus, & custodia quòd in statu permanemus.

7 sal.  
102. c

Rom. 7. d

A Nemo ergo se alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest: quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur. Quid est enim, quòd vir Dei contra altare Samariæ ad prophetandum directus, præsentem rege auctoritatem liberæ vocis exercuit, ejusdemque regis extensum brachium in rigorem \* miserabiliter adstrinxit, quod tamen mox misericorditer saluti restituit? Cujus in domo invitatus comedere noluit: quia ne in via comederet, prohibitionis Dominicæ præcepta servavit. Qui tamen in eadem via & seductus comedit, & pastus interit. Qua in re quid subtili consideratione colligimus, quid, ut ita dixerim, formidandum suspicamus: nisi quòd forsitan, quia apud semetipsum tacitus, pro præceptis Dominicis regem se contempsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quasiatus est: & inde ei in opere culpa subrepsit, unde gloria in corde surrexit: ut prophetæ falsi verbis deceptus disceret, quia nequaquam propriæ fortitudinis fuerit, quòd regis verbis restitisset. Bene autem ex ejus ore mortis sententiam accepit, cuius seductione à vitæ præcepto deviauit: ut inde pœnam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisisset. Quia igitur unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiens deserit, dicatur rectè: [ *Appropinquabit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.* ] ut quòd se suis viribus vicinum morti per adversa considerat, eò in cunctis quæ fortiter egerit, ad divinæ spei munimen fugiens solidiùs vivat.

3. Reg. 11.

\* al.  
mirabiliter

## SANCTI GREGORII MORALIS EXPOSITIONIS IN BEATVM IOB, LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

### CAPUT PRIMVM.

**L**IU vim supernæ dispensationis insinuans, de electi uniuscujusque percussione intulit, dicens: [ *Appropinquabit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.* ] Et dum tentatum hominem demonstrat unum, in qua tentatione sit positum humanum genus ostendit universum: dumque narrat quid specialiter agatur in singulis, liquidò intimat quid generaliter agatur in cunctis. Sic enim tentationem expreflit quorundam, propriè singulorum, ut possit intelligi & universaliter omnium. Cunctum quippe electorum genus in hac vita hujus tædio laboris afficitur. Unde & mox huic generali pestilentia generale subintulit remedium medicinae, dicens.

*Quod Christus, magni consilii angelus, similis nobis, locusus est equitatem, homo pro hominibus interpellans: & impetravit indulgentiam, exauditus pro sua reverentia.*

### CAPUT II.

*SI fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annunciet hominis equitatem, miserabitur ejus,] Quis enim est iste angelus, nisi ille qui per Prophe-*

**D**tam dicitur magni consilii angelus? Quia enim Græca lingua evangelizare, denunciare dicitur: semetipsum nobis annuncians Dominus angelus vocatur. Et bene ait: [ *Si fuerit pro eo angelus loquens,* ] quia, sicut ait Apostolus, etiam interpellat pro nobis. Sed quid pro nobis loquatur, audiamus: [ *Unum de similibus.* ] Mos medicinae est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, frigida frigidis: sæpe autem frigida calidis. calida frigidis sanare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inveniens languoribus pressos; quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus: concordavit nobis veritate naturæ, sed discrepavit à nobis rigore justitiæ. Vitiosus enim homo corrigi non poterat nisi per Deum. Videri autem debuit, qui corrigebat: ut præbendo imitationis formam, antea malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat Deus, ergo homo factus est, ut videri potuisset. Justus igitur atque invisibilis Deus, apparuit similis nobis homo visibilis: ut dum videretur ex simili, curaret ex justo: & dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obviaret ægritudini. Quia ergo in carne veniens Dominus, non

Esa. 9. b  
Isaia  
lxix.

Rom. 8. g

24

non

non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit, ( nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit ) rectè dicitur, quod pro tentato homine iste angelus unum de similibus loquitur : quia nec ita natus ut reliqui, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim cooperante coitu, sed Spiritu sancto superveniente conceptus est. Natus autem materna viscera & fecunda exhibuit, & incorrupta servavit. Rursum nos omnes cum nolimus, morimur ; quia ad solvendæ pœnæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur : ille autem, quia nulli admixtus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ Sed quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam* Qui etiam præmisit : *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Rursum non ut reliqui suscitatus est : quia nostrum resurrectio in sæculi finem dilata est, illius verò die tertio celebrata. Et nos quidem per illum resurgimus, nam ipse per se. Neque enim, qui Deus erat, sicut nos ab alio ut resuscitari potuisset, indigebat. In eo ergo ejus resurrectio distat à nostra, quod non per nosmetipsos resurgimus, sicut ipse. Pro eo enim quod simpliciter homines sumus, superiori adjutorio ut resurgere valeamus, indigemus. Ille autem ejusdem resurrectionis vim cum Patre & Spiritu sancto Deus exhibuit, quam tamen solus in humanitate percepit. Quia igitur Dominus verè natus, verè mortuus, verè suscitatus, in omnibus tamen distat à nobis magnitudine potentia, sed sola concordat nobis veritate naturæ ; bene dicitur, quia pro nobis angelus iste unum de similibus loquitur. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendat, in uno tamen à nobis, id est, in formæ veritate non discrepat. Per hoc pro nobis Patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui quippe ejus, vel interpellare, est, ipsum se pro hominibus hominem demonstrare. Et bene cum dixisset : [ *Unum de similibus loquitur,* ] illico adjunxit : [ *Ut annunciet hominis æquitatem.* ] Quia nisi ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum non appareret. Inde quippe annunciat æquitatem nostram, unde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Omnes videlicet nos inimica illa persuasio in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullusque erat, qui apud Deum pro peccatoribus loquens, à peccato liber appareret : quia ex eadem massa editos, æque cunctos per reatus involverat. Proinde venit ad nos Unigenitus Patris : assumpsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset : quia nimirum alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Bene ergo dicitur, quia in eo quoddam similis apparuit, æquitatem hominis annunciat. Intercedens enim pro peccatoribus, semetipsum justum hominem, qui pro aliis indulgentiam mereretur, ostendit. Sequitur.

*Quod in eo quoddam Verbum caro factum est, & in proprio sanguine Christus introivit in sancta, nostra redemptio inventa est.*

CAPUT III.

**M**iseretur eius. & dicit : *Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni in quo ei propitiar.* Mediator Dei & hominum, homo Jesus in eo miseretur homini, quo formam hominis sumpsit : qua misericordia pro redempto homine dicit Patri : [ *Libera eum, ut non descendat* S. Greg. Tom. I.

*in corruptionem.* ] Sicut jam supra diximus, dicere ejus est, liberare hominem ; naturam hominis assumendo liberam demonstrare. Ex ea quippe carne quam sumpsit, etiam hanc ostendit liberam quam redemit. Quæ redempta videlicet caro nos sumus, qui conditione nostri reatus astringimur. Sed mediatoris tanti æquitatè liberamur, sicut ipse ait : *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Et bene pro hoc redempto homine dicitur : [ *Non descendat in corruptionem.* ] Superius enim dictum fuerat : [ *Appropinquabis corruptioni anima ejus ;* ] postmodum dicitur : ( *Non descendat in corruptionem.* ) ac si diceret : Quia cognoscendo infirmitatem suam, esse se corruptioni proximum non ignorat, idcirco ad corruptionis interitum non descenderet, si suis viribus longè se à corruptione esse judicaret. Sed quia corruptioni appropinquavit humiliter, debet ab ea misericorditer liberari : ut eò contra impugnantia vitia fortis sit, quò se suis meritis agnoscat infirmum. Quisquis enim supra se extollitur, ipso elationis suæ pondere gravatur : & eò se in infimis mergit, quò in superbiæ vitium proruens, ab eo qui verè excelsus est, elongavit : atque inde magis ima appetit, unde se junctum summis æstimavit ; sicut per Prophetam extollenti se animæ dicitur : *Quò pulchrior es descende, & dormi cum incircumcis.* Omnis enim qui fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit, sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit : quia extollendo se de suis meritis, inde in ima deterius corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcis dormit : quia in æterna morte cum ceteris peccatoribus deficit. Quia ergo homo iste humiliter corruptioni se propinquum esse cognovit, bene de eo dicitur : [ *Libera eum, ut non descendat in corruptionem :* ] ut eò magis evadat pœnam, quò oculos suos non avertit à culpa. Quia verò nullus erat cujus meritis nobis Dominus propitiari debuisset ; Unigenitus Patris, formam infirmitatis nostræ suscipiens, solus justus apparuit, ut pro peccatoribus intercederet. Et bene pro redempto homine isto loquens angelus dicit : [ *Inveni in quo propitiar ei.* ] Ac si apertè mediator Dei & hominum dicat : Quia nullus hominum fuit, qui coram Deo intercessor justus pro hominibus appareret, memetipsum ad propitiandum hominibus hominem feci : & dum me hominem exhibui, in quo justè hominibus propitiarer inveni. Et quia infirmitatem suscipiens Dominus, dum pœnam nostram moriendo toleravit, corruptionem nostram resurgendo mutavit. Bene ergo iste angelus mortalitatis nostræ flagella subjungit, eorumque miseretur, dicens : [ *Consumpra est caro ejus à suppliciis ; revertatur ad dies adolescentiæ suæ.* ] In illo quippe primo homine à Deo recedente, repulsi à paradisi à gaudiis, in hanc mortalis vitæ ærumnam cecidimus : & quàm gravem culpam serpentis suasionem commisimus, pœna nostræ ultionis sentimus. Huc enim lapsi, nihil extra Deum, nisi quo affligeremur, invenimus. Et quia per oculorum visum carnem secuti sumus, de ipsa carne quam præceptis Dei praposuimus, flagellamur. In ipsa quippe quotidie gemitum, in ipsa cruciatum, in ipsa interitum patimur : ut hoc nobis mira dispositione Dominus in pœnam verteret, per quod fecimus culpam : nec aliunde esse interim censura supplicii, nisi unde fuerat causa peccati : ut ejus carnis amaritudine homo erudiretur ad vitam, cujus oblectatione superbiæ pervenit ad mortem. Quia ergo innumeris humanum genus carnalis vitæ supplicii premebatur, sed redemptore nostro veniente, & vitia corruptionis nostræ & tormenta delata sunt, dicatur de hoc redempto homine.

X x

Luc. 1. d

1. Tim. 2. a

3.

Gen. 3. a

Rom. 5. c

1. Tim. 2. d

4.

Exec 32 a

\* al. advertit ad culpam.

Phil. 2. a

Gen. 3. d

*Quod Christo interpellante pro nobis, genus humanum tentationum tormentis consumptum, reversum est ad id, unde ceciderat, antequam peccaret.*

## CAPUT IV.

**C**onsumpta est caro ejus à suppliciis; revertatur ad dies adolescentia sua. Ac si diceret: Mortalitatē suā poena in quadam vetustatis suā senectute dejectus est: revertatur ad dies adolescentiæ suæ, id est, prioris vitæ integritate renovetur: ut non eò maneat, quò lapsus est; sed ad hoc redemptus redeat, ad quod percipiendum conditus fuit. Scriptura enim sacra sæpe adolescentiam pro novitate vitæ ponere consuevit. Unde venienti sponso dicitur: *Adolescentulo dilexerunt te*; id est, electorum animæ gratia baptismatis renovatæ, quæ non in vitæ veteris usu deficient, sed novi hominis conversatione decorantur. Senectutem quippe veteris hominis inter vitia tabescentem desolebat ille, qui ait: *Invenit inter omnes inimicos meos.* E contra alius gaudere in virtutibus admonens dicit: *Latere juvenis in adolescentia tua.* Ac si diceret: Fortis quique gaudeat in renovatione sua; id est, lætitiā suā non in vitæ veteris voluptate, sed in conversationis novæ virtute constituat. Quia verò ad hoc novitatis robur non nostris viribus, sed Redemptore interveniente revocamur; pro hoc flagellato homine deprecans angelus dicit: *Revertatur ad dies adolescentia sua.* Et quia dum Redemptor noster Patrem pro nobis interpellat, nos quoque vitæ pristinæ torpore discusso, ad situm orationis accendimur, aptè de hoc homine redempto subjungitur: *Deprecabimur Deum, & placabilis ei erit.* Prius enim postulare angelum, & postmodum hominem dicit: quia nisi antè ipse Dominus per incarnationem suam interpellans Patrem, vitam nostram peteret, numquam se insensibilitas nostra ad postulanda ea quæ æterna sunt, excitaret. Sed incarnationis ejus præcessit oratio, ut torporis nostri evigilatio subsequatur.

*Quod post labores tentationum, orationum instantiam, placato Deo servi ejus quasi in excessu mentis suspensi, dum præsentia contemnant, quædam de Deo sentiunt, quæ tamen effari non possunt.*

## CAPUT V.

**Q**uia verò post tentationes, sæpe post immensas amaritudines menti nostræ in occulto gaudio lux veritatis erumpit; bene de hoc tentato homine & deprecante subjungitur: *[Et videbit faciem ejus in jubilo.]* Superius dictum est, quomodo Deus innotescendo afficit: nunc verò dicitur, quomodo dum innotescit, exhilarat. Aliter enim quisque compungitur, cum interna intuens, malorum suorum pavore terretur: aliter verò compungitur, cum gaudia superna conspiciens, spe quadam & securitate roboratur. Illa compunctio afficientes & tristes, hæc verò latas lacrymas movet. Jubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam motibus proditur, quatenus nullis proprietatibus exprimat. Unde David propheta intuens electorum animas tantum gaudium mente concipere, quantum sermone non valent aperire, ait: *Qui loquitur; sed Qui scit: quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed dicto exprimi non potest.* Sentitur per illam quippe, quod ultra sensum est. Et cum vix ad hoc contemplandum

A sufficiat conscientia sentientis, quomodo ad hoc exprimendum sufficiat lingua dicentis? Quia ergo cordibus nostris lux se veritatis insinuans, modò districtam justitiam prætendendo contristat, modò interna gaudia aperiendo lætificat; post tentationum amaritudines, post tribulationum luctus, aptè subjungitur: *[Videbit faciem ejus in jubilo.]* Menti enim nostræ de consideratione cecitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum ærgo concremetur: & tunc mundatis oculis cordis, illa lætitiā patriæ cælestis aperitur, ut prius purgemus lugendo, quod fecimus; & postmodum manifestius contempler per gaudia, quod quæramus. Prius à mentis acie exurente tristitia, interposita malorum caligo detergitur; & tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripsi luminis illustratur. Quo utcumque conspecto, in gaudio cujusdam securitatis obsoletur: & quasi post defectum vitæ præsentis ultra se rapta, in quadam novitate aliquo modo recreatur. Ibi mens ex immenso fonte infusione superni roris aspergitur: ibi non se sufficere ad id quod rapta est, contempletur, & veritatem sentiendo, videt, quia quanta est ipsa veritas, non videt. Cui veritati tantò magis se longè existimat, tantò magis appropinquat: quia nisi illam utcumque conspiceret, nequaquam eam conspiceret se non posse sentiret. Admissus ergo animi, dum in illam intenditur, immensitatis ejus coruscante circumstantia reverberatur. Ipsa quippe cuncta implens, cuncta circumstat: & idcirco mens nostra nequaquam se ad comprehendendam incircumscripam circumstantiam dilatat, quia eam inopia suæ circumscriptionis angustat. Unde & ad semetipsam citius labitur, & prospectis quasi quibusdam veritatis vestigiis, ad sua ima revocatur. Hæc ipsa tamen per contemplationem facta non solida & permanens visio, sed, ut ita dixerim, quasi quædam visionis imitatio, Dei facies dicitur. Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei, faciem ejus vocamus. Unde Jacob postquam cum angelo luctatus est, ait: *Vidi Dominum faciem ad faciem.* Ac si diceret: Cognovi Dominum, quia me cognoscere ipse dignatus est. Quam cognitionem plenissimè fieri Paulus testatur in fine dicens:

*Tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* Quia ergo post laborum certamina, post tentationum fluctus sæpe in excessu anima suspenditur, ut cognitionem divinæ præsentia contempletur, quam tamen præsentiam & sentire possit, & explere non possit; reatè post tot labores de hoc tentato homine dicitur: *(Videbit faciem ejus in jubilo.)* Quia verò uniusquisque tantò amplius cælestia contempletur, tantò magis à terrena operatione corrigitur; bene post gratiam contemplationis, justitiam subdidit operationis, dicens: *(Et reddet homini justitiam suam.)* Justitia nostra dicitur, non quæ ex nostro nostra est, sed quæ divina largitate fit nostra; sicut in Dominica oratione dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ecce & nostrum dicimus; & tamen, ut detur oramus. Noster quippe fit, cum accipitur; qui tamen Dei est, quia ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem. Ita ergo hoc loco homini suam justitiam Dominus reddit: non quam ex semetipso habuit, sed quam conditus ut haberet accepit, & in qua lapsus perseverare noluit. Illam ergo justitiam reddet Deus homini, ad quæ conditus fuit, ut inherere Deo libeat, ut minacem ejus sententiam pertimescat, ut serpentis callidis blandis jam promissionibus non credat. Quod enim in paradiso egit, hoc quotidie antiquus hostis agere non desistit. Verba quippe Dei de cordibus hominum molitur evellere, atque in eis ficta promissionis suæ blandimenta radicare: quotidie id quod Deus minatur, levigat, & ad hoc

credendum, quod falsum promittit, invitat. Falsò enim pollicetur temporalia, ut mentibus hominum ea supplicia leviget, quæ Deus minatur æterna. Nam cum præsentis vitæ gloriam spondet, quid aliud dicit quàm, *Gustate, & eritis sicut dii*? Ac si apertè dicat: Temporalem concupiscentiam tangite, & in hoc mundo sublimes apparet. Et cum timorem divinæ sententiæ amovere conatur, quid aliud loquitur, quàm id quod primis hominibus dixit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi*? Sed quia divino munere redemptus homo iustitiam recepit, quam dum conditus amisit; robustiorem se jam contra blandimenta callidæ persuasionis exercet; quia experimento didicit quantum obediens esse debeat præcepto. Et quem tunc culpa duxit ad pœnam, nunc pœna sua restringit à culpa: ut tanto magis delinquere metuat, quanto cogente supplicio & ipse jam quod perpetravit, acculat. Unde & sequitur.

Quòd qui sanctorum patrum exempla respicit, eorum comparatione se in ferriorem cognoscit.

## CAPUT VI.

**R**espiciet homines, & dicit: Peccavi. Sed peccatorem se non cognoscet, si iustitiam non haberet. Nemo quippe toritudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino perverfus est, neque hoc potest videre, quod est. Qui verò peccatorem se intelligit, jam ex parte aliqua iustus esse inchoavit, atque id quod non iustus fecerat, ex eo quòd iustus est, acculat. Quia acufatione sua Deo inhærere inchoat, dum rectum contra se iudicium proferens, hoc in se, quod illi sentit displicere, condemnat. Recepta ergo iustitiâ suâ dicit homo iste: [Peccavi.] Et notandum, quod præmittitur: [Respiciet homines;] & tunc deinde subiungitur: [Et dicit, Peccavi.] Ideo enim nonnulli peccasse se nesciunt, quia homines non attendunt. Nam si considerarent homines, citius agnoscerent quantum peccando infra homines cecidissent. Et quamvis Scriptura sacra aliquando homines ponere soleat humana sapientes, sicut ait Apostolus: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* & paulò post subiicit, dicens: *Nonne homines estis?* nonnumquam tamen homines dicit eos, quos à bestiis ratio distinguit, id est, quos non atteri bestiali passionum motu demonstrat. Quibus per Prophetam Dominus dicit: *Vos autem greges pascuæ meæ homines estis*: quia illos nimirum Dominus pascit, quos voluptas carnis iumentorum more non afficit. At contra hi, qui carnali affectioni succumbunt, non jam homines, sed iumenta nominantur: sicut de quibusdam, qui in peccato suo moriuntur, per Prophetam dicitur: *Computrescunt iumenta in stercore suo*. Iumenta quippe in stercore suo computrescere, est carnales homines in fetore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur; de quibus per Prophetam dicitur: *Unusquisque ad uxorem proximi sui binniebat*. Et de quibus Propheta alius dicit: *Ut carnes asinorum, carnes eorum: & fluxus equorum, fluxus eorum*. Unde & per David dicitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Cum ergo vocentur homines hi, qui iustitiæ ratione suffulti sunt; & irrationabilia iumenta nominentur hi, qui carnali delectationi deserviunt; rectè de hoc penitente dicitur: [Respiciet homines, & dicit: Peccavi.] Ac si dicatur: Sanctorum virorum exempla respicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissimè intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspiciere, qualis non est: ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipse deserto bono

S. Greg. Tom. I.

deformis est. Ex his quippe, quibus plenissimè bona adsunt, perpendit rectè, quæ sibi minus sunt: atque in illorum pulchritudine conspiciet fœditatem suam, quam in semetipso & potest perperari, & sentire non potest. Lucem namque debet conspiciere, qui vult de tenebris iudicare; ut in illa videat quid de tenebris ætinet, per quas videre præpeditur. Peccator namque si incognita vita iustorum semetipsum conspiciat, peccatorem se nullatenus comprehendit. Videre enim se non potest, quia fulgorem lucis nesciens, cum semetipsum conspiciat, quid aliud quàm tenebras attendit? Iustorum ergo debemus vitam conspiciere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illorum videlicet species, quasi quædam forma nobis imitanda proponitur: quia viva lectio est vita bonorum. Unde & non immeritò idem iusti in sacro eloquio libri nominantur, sicut scriptum est: *Libri aperti sunt, & alius liber aperius est, qui est vita*: Apoc. 20: & *iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in d. libris*. Liber namque vitæ est ipsa visio advenientis iudicis. In quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quidquid non fecit, intelligit. Libri etiam aperti referuntur: quia iustorum tunc vita conspiciatur, in quibus mandata cælestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris: quia in offensa vita iustorum, quasi in expansione librorum legunt bonum quod agere ipsi noluerunt, atque ex eorum qui fecerunt, comparatione damnantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit desinat, nunc in eis, quod imitetur, attendat. Quod quidem facere electi non cessant. Meliorem namque vitam considerant, & deterioris usus conversationem mutant. Unde sponsi voce sanctæ Ecclesiæ in Canticis canticorum dicitur: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur umbra*. Quæ enim sunt duo ubera, nisi ex Iudæa ac gentilitate veniens uterque populus, qui in sanctæ Ecclesiæ corpore per intentionem sapientiæ arcano est cordis infixus? Ex quo populo hi qui electi sunt, idcirco capræ hinnulis comparantur; quia per humilitatem quidem parvos sese ac peccatores intelligunt, sed eis per charitatem currentibus, si qua obstacula de impedimento temporalitatis obviant, transeunt, & datis contemplationis salubus ad superna transcendunt. Qui ut hæc agant, præcedentium sanctorum exempla conspiciunt. Unde & in liliis pasci referuntur. Quid enim per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus Deo*: Electi ergo, ut affectu summa prævaleant, conspecta odorifera & candida iustorum vita, fatiantur. Jam quidem videre Dominum sicut, jam de ejus contemplatione fatiari charitatis affectibus inardescunt. Sed quia in hac vita postum necdum valent, per præcedentium interrim patrum exempla pascuntur. Unde & aptè illic tempus de ipso liliorum pascu definitur, dum dicitur: *Donec aspiret dies, & inclinentur umbra*. Tandem quippe recti iustorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis umbras, æterno die aspirante, transeamus. Cum enim hujus temporalitatis umbra, transacta hac mortalitate, fuerit inclinata, quia ipsius diei internum lumen cernimus, nequaquam jam appetimus, ut ad amorem ejus per aliorum exempla flagremus. Nunc autem, quia necdum eum intueri possumus, summopere necesse est, ut eorum qui illum perfectè secuti sunt, conspectis actionibus incitemur. Intueamur ergo quàm pulchra est agilitas sequentium, & videamus quàm turpis sit hebetudo pigrorum. Statim namque, ut bene agentium gesta respicimus, nosmetipsos confusione intima ulciscente iudicamus: mox verecundia mentem concutit, mox iustè sæviens reatus addicit; & vehementer hoc etiam displicet,

X x ij

quod adhuc fortasse turpiter libet. Unde bene per  
 Ezechielem dicitur: *Fili hominis ostende domui Israel*  
*templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, &*  
*metuantur fabricam, & erubescant ex omnibus qua*  
*fecerunt.* Templum quippe Dei filius Israel ad con-  
 fusionem ostenditur, quando uniuersusque iusti  
 anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta  
 sanctitate fulgeat, ad confusionem suam peccatori-  
 bus demonstratur: ut in illa bonum quod negli-  
 gunt, videant, & in seipsis malum quod operantur,  
 erubescant. Metiri verò fabricam, est pensare sub-  
 tiliter iustorum vitam. Sed dum metitur fabricam,  
 necesse est ut ex cunctis quæ facimus, erubescamus:  
 quia bonorum vitam quanto subtilius pensando  
 discutimus, tantò seuerius in nobis omnia iniquè  
 gesta reprobamus. Bene autem Propheta dicitur,  
 ut ostendat templum. Quia enim iustorum rectitu-  
 dinem considerare peccator dissimulat, saltem hanc  
 ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe  
 peccatoribus ostendere, est sponte sua considerare  
 nolentibus rectorum opera narrare. Qui itaque,  
 sicut diximus, perducere ad summa desiderant, semper  
 necesse est, ut meliorum profectibus intendant:  
 quatenus tantò restrictius in se culpas iudicent,  
 quantò in illis altius, quod admirentur, vident.  
 Sed quid ista de peccantibus dicimus, cum ipsos  
 quoque operatores iustitiæ tanta prochi dispensa-  
 tione videamus? Alius namque donum scientiæ ac-  
 cipit: & tamen ad virtutem miræ abstinentiæ non  
 peringit. Alius magna abstinentiæ virtute accingi-  
 tur: nec tamen in summa scientiæ contemplatione  
 dilatur. Alius per prophetiæ spiritum valet om-  
 nia ventura prænoscere: sed tamen per curationis  
 gratiam non valet præsentis molestiæ mala subleua-  
 re. Alius per curationis gratiam mala præsentis mo-  
 lestiæ subleuat: sed tamen quia prophetiæ spiritum  
 non habet, quid sequatur, ignorat. Alius indigen-  
 tibus multa jam propria largiri potest: sed tamen  
 iniuste agentibus obviare liberè non potest. Alius  
 iniuste agentibus audacter pro Deo obuiat: sed ta-  
 men indigentibus, quæ habet, tribuere omnia re-  
 cufat. Alius jam & ab otioso se sermone restrin-  
 gens, linguæ lasciuiam superat: sed tamen adhuc  
 insurgentes iræ stimulos perfectè non calcat. Alius  
 insurgentem iram jam perfectè edomat: sed tamen  
 adhuc linguam in læticiam relaxat. Quid est hoc,  
 quòd iste eo bono indiget, quo alius pollet: & ille  
 cum multis polleat, abundè aliis bonum adesse  
 considerat quod sibi deesse suspirat? nisi quòd mira  
 nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc quod  
 alter habet, & iste non habet, unus altero melior  
 ostendatur: quatenus tantò ardentius ad humili-  
 tatem quisque proficiat, quantò ex bonis quæ non  
 habet, inferiorem se habentibus pensat. Sicque fit,  
 ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit quod  
 admiretur, distincta bona & ab altitudine elatio-  
 nis reprimant, & ad studium profectus accendant.  
 Magna namque sollicitudine ad curam nostræ me-  
 liorationis accingimur, quando id virtutis in aliis  
 cernimus, quod non habemus. Unde Ezechiel pro-  
 pheta, cum volentia animalia descripsisset, adiunxit:  
*Et audiui post me vocem commotionis magna: Bene-*  
*dicit gloria Domini de loco sancto suo: & vocem ala-*  
*rum animalium percussientium alteram ad alteram.*  
 Quid namque alas animalium, nisi virtutes debe-  
 mus sentire sanctorum? Qui dum terrena despi-  
 ciunt, ad caelestia volando subleuantur. Unde rec-  
 tè etiam per Esaiam dicitur: *Qui considant in Do-*  
*mino, mutabunt fortitudinem, assumunt pennas ut*  
*aquile.* Volentia itaque animalia aliis suis se vicissim  
 feriant; quia sanctorum mentes in eo quòd super-  
 na appetunt, consideratis invicem alternis virtuti-  
 bus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui  
 exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accen-  
 dit. Et alâ meâ vicinum animal ferio, si aliquan-

A do alteri opus bonum, quod imitetur, ostendo.  
 Sed quia sanctorum vitam significari istis animalibus  
 diximus, libet in ipso volatu animalium ocu-  
 los mentis attollere, & quanta vicissim alarum ocu-  
 latione se excitent, subtili consideratione pensa-  
 re. Paulus namque, cum ceterorum sanctorum  
 sollicitudinem in prædicatione robustius laboran-  
 do transcenderet, ut ab elatione se premeret, &  
 vires suas in humilitatis gremio nutrirer, crudeli-  
 tatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum  
 omnium innocentiam contemplatus, ait: *Ego enim*  
*sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus*  
*vocari Apostolus; quia persecutus sum Ecclesiam*  
*Dei.* Et tamen eorumdem omnium Apostolorum  
 primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si  
 minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam  
 miratur, dicens: *Sicut & charissimus frater noster*  
*Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vo-*  
*bis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de*  
*his, in quibus sunt quedam difficulta intellectu.* Ec-  
 ce Paulus in Apostolis miratur innocentiam, ecce  
 Apostolorum princeps miratur in Paulo sapien-  
 tiam. Quid est hoc, nisi quòd sancti viri, dum vir-  
 tutum consideratione vicissim sibi alios præferunt,  
 volentia animalia alarum percussione se tangunt:  
 ut eò ad volatum se altius excitent, quòd humili-  
 lius alter in altero quod admiretur videt? Hinc  
 itaque colligendum est, quanta debemus sollicitu-  
 dine meliorum vitam conspiciere nos, qui in infi-  
 mis jacemus, & hi qui jam tanta sanctitate subli-  
 mes sunt, ut per humilitatis gressum ad maiora  
 proficiant, adhuc quærunt in aliis quod imitantes  
 admirentur. Sed hæc reprobi nesciunt; quia men-  
 tis oculos semper in infimis premunt; qui & si  
 quando in viam Domini veniunt, non ad melio-  
 rum vestigia, sed ad intuenda semper deteriorum  
 exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam  
 considerant, quibus se humiliando postponant, sed  
 quibus superbiendo se præferant. Deteriores nam-  
 que respiciunt, quibus meliores se esse glorian-  
 tur; & idcirco proficere ad meliora non possunt,  
 quia hoc sibi sufficere æstimant, quòd pessimos  
 antecedunt. O miseri, viam pergunt, & in ter-  
 ga respiciunt. Per spem quidem, quasi ante se pe-  
 dem proferunt, sed per considerationem pravo-  
 rum hominum post se oculos tendunt. Recti vi-  
 deri appetunt, sed ad inveniendos se tortam re-  
 gulam sumunt. Si enim semetipsos quales sunt co-  
 gnoscere appetunt, non deteriorum conspiciere,  
 sed meliorum exempla debuerant. Idcirco ergo  
 peccatores se esse non intelligunt, quia homines  
 non attendunt. Nam si homines attenderent,  
 quantum peccando distarent à bonis hominibus,  
 inuenirent. De hoc ergo pœnitente, qui idcirco  
 bonorum exempla considerat, ut sibi metipsi quan-  
 tum à bono recessit innotescat, bene dicitur: *[*  
*Respiciet homines, & dicit: Peccavi, & verè deli-*  
*qui, & ut eram dignus non recepi.]* Peccatores se  
 esse plerumque confitentur etiam qui se peccasse  
 non credunt. Nam sæpe contingit, ut passim se  
 homines iniquos esse fateantur: sed cum peccata  
 sua veraciter aliis arguentibus audiunt, defendunt  
 se summopere, atque innocentes videri conantur.  
 Unusquisque ergo cum talis est, si deliquisse se  
 dicit, verè non dicit; quippe qui peccatorem se  
 non ex cordis intimo, sed verbotenus asserit. Quia  
 enim scriptum est: *Iustus in principio accusator est*  
*proxi-*  
*mi: iste de confessione peccati ornari voluit, non*  
*humiliari: per accusationem suam humilis appe-*  
*tuit videri, non esse. Nam si confitendo peccatum,*  
*esse humilis veraciter appeteret, de perpetrati-*  
*one peccati arguentes se alios non impugnaret. Itaque*  
*iustus vitam suam iudicans, per exempla meliorum ex*  
*cordis intimo cognoscit se esse quod dicit. Ait enim:*  
*Peccavi, & verè deliqui.]* Atque de eo ipso quod

Ezech.

14. c

2. Cor.

12. b

Ezech.

3. c

11.

Esa. 40.

2

tolerat flagello subjungit: [ *Et ut eram dignus non recepi.* ] Unusquisque enim in flagello positus, minus adhuc peccata sua considerat, si vel tantum, vel amplius se percussum, quam merebatur, existimat. Iste autem, quia quantum majorum exempla considerat, tantò districtiori examinatione se pensat, minus se percussum, quam merebatur, agnoscit: quia in illorum iustitia conspiciat, quam gravis sibi culpa fuerit quòd erravit; & idcirco hoc quod patitur, districtum esse non sentit, quia districtè novit pensare quòd fecit. Valde autem facile est, ut peccatorem se quisque, cum nihil pro peccato suo patitur, fateatur. Securè videlicet iniquos nos dicimus, cum vindictam nullam de iniquitate sentimus. Nam peccatores nos quidem in tranquillitate loquimur, sed cum de peccatis ipsis flagello interveniente corripimur, murmuramus. Pœna ergo nos interrogat, si veraciter cognoscimus culpam. Vir itaque iustus, quia culpam suam districtè considerat, etiam in flagello positus dicat: [ *Et ut dignus eram non recepi.* ] Sequitur: [ *Liberavit enim animam suam, ne pergeret in interitum.* ] Quia præveniente divina gratia in operatione bona, nostrum liberum arbitrium sequitur, nosmetipsos liberare dicimur, qui liberanti nos Domino consentimus. Unde Paulus, cum diceret: *Abundantius illis omnibus laboravi*; ne labores suos sibi tribuisse videretur, illico adjunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim prævenientem Dei gratiam, etiam ipse per liberum arbitrium fuerat subsecutus, aptè subjungit, *Mecum*: ut & divino muneris non esset ingratus, & tamen à merito liberi arbitrii non remaneret extraneus. De hoc autem, qui liberatori suo semetipsum cognoscendo consensit, rectè dicit: [ *Liberavit animam suam, ne pergeret in interitum.* ] Sequitur: [ *Sed vivens lucem videret.* ] Lucem scilicet veritatis, quam corde mortuus videre non posset. Vel etiam certè, quia Dominus dixit: *Ego sum lux mundi*; videbunt lucem etiam mortui, quando omnes iniusti eum venire ad iudicium in humanitatis forma conspexerint. Sed vivens tunc lucem respicit, qui liberis oculis cordis in forma eum divinitatis attendit. Sequitur.

Quod illa tentationum genera, que numerata sunt, operatur Deus in nobis, ut labore conversionis, & provocatione tentationis, & timore mortis arrius purgemur, & post amaritudines gaudia subsequantur.

CAPUT VII.

Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos. De hoc tentato flagellatoque homine dictum superius fuerat: [ *Abominabilis ei sit in vita sua panis; & appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.* ] Inferius verò subnexum est: [ *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit; & videbit faciem ejus in jubilo; & liberavit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.* ] In his itaque jam collectis coacervatisque sententiis, & supra mœror amaritudinis, & infra subjuncta est lætitia securitatis, moxque post hæc dicitur: [ *Hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.* ] Ac si diceret: Quod semel de uno dixi, hoc tribus vicibus per singulos agitur. Sed solerter intuendum est, quæ tres istæ vices sint, quibus unusquisque homo anxietate mœroris afficitur, & post mœrorem protinus ad securitatem lætitiæ revocatur. Id enim superius, sicut jam dixi, narraverat, quòd & gravis prius mœror afficit, & magna postmodum lætitia attollit. Igitur si vigilanter intendimus, has tres vices mœroris & lætitiæ in uniuscujusque electi animo istis alternari modis invenimus, id est, conversione, tentatione, & morte. In prima quippe quam diximus conversionis vice,

gravis mœror est, cum sua unusquisque peccata considerans, curarum secularium vult compedes rumpere, & viam Dei per spatium securæ conversationis ambulare: desideriorum temporalium onus grave abjicere, & lene jugum Domini libera servitute portare. Cogitanti enim ista, occurrit illa familiaris sua delectatio carnalis, quæ inveterata dudum, quantum cum diutius tenuit, tantò arctius astringit, atque à se tardius abire permittit. Et quis ibi mœror, quæ anxietas cordis, quando hinc spiritus vocat, hinc caro revocat: hinc amor novæ conversationis invitat, hinc usus vetustæ pervertitatis impugnat: hinc desiderio ad cælestem patriam flagrat, & hinc in semetipso carnalem concupiscentiam tolerat, quæ cum etiam aliquo modo invimine delectat? Rectè ergo de hoc amarescente homine dici potest: [ *Abominabilis ei sit in vita sua panis; & appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.* ] Sed quia divina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, ruptis peccatorum nostrorum vinculis citius nos ad libertatem novæ conversationis consolando perducit, & præcedentem tristitiam subsequens lætitia refovet: ita ut conversi uniuscujusque animus eo magis ad votum suum perveniendo gaudeat, quo magis se pro illo meminit laborando doluisse. Fit cordi immensa lætitia: quia ei quem desiderat, jam per spem securitatis propinquat, ut rectè de hoc dici debeat: [ *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit; & videbit faciem ejus in jubilo.* ] Vel certè: [ *Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.* ] At ne conversus quisque jam sanctum se esse credat, & quem mœroris pugna superare non valuit, ne ipsa postmodum securitas sternat, dispensante Deo permittitur, ut post conversionem suam tentationum stimulis fatigetur. Jam quidem per conversionem Rubrum mare transitum est; sed adhuc in eremo vitæ præsentis ante faciem hostes occurrunt. Jam peccata præterita velut extinctos Ægyptios post terga relinquimus; sed adhuc nocentia vitia, quasi alij hostes obviant, ut ad terram promissionis pergentibus ceptum iter intercludant. Jam priores culpæ, velut insequentes adversarii, sola divina virtute prostrata sunt; sed tentationum stimuli, quasi hostes alij contra faciem veniunt, qui & cum nostro labore superentur. Conversio videlicet securitatem parit, mater autem negligentia solet esse securitas. Ne ergo securitas negligentiam generet, scriptum est: *Fili, accedens ad servitium Dei, stans in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Non enim ait, ad requiem, sed ad tentationem: quia hostis nos ter adhuc in hac vita nos positos, quantum magis nos sibi rebellare conspiciat, tantò amplius expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos verò ed vehementius incitatur, quòd ex corde nostro, quasi ex jure propriæ habitationis expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum non nisi post baptismum se tentare permittit, ut signum nobis quoddam futuræ conversionis innueret, quòd membra ejus postquam ad Deum proficerent, tunc aciores tentationum insidias tolerarent. Post primam igitur vicem mœroris atque lætitiæ, quam unusquisque per studia conversionis agnoscit, hæc secunda suboritur: quia ne securitatis negligentia dissolvatur, impulsu tentationis afficitur. Et quidem quisque in ipso conversionis initio magna plerumque excipitur dulcedine consolationis; sed durum laborem postmodum experitur probationis. Tres quippe modi sunt converforum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem veniunt blandimenta dulcedinis, in medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum verò perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia





autem quisque sibi cautè sollicitus, tacitè secum  
considerare non cessat, æternus iudex quàm distri-  
ctus adveniat, suumque terminum quotidie prospici-  
cit, & ante severitatem tantæ iustitiæ, quas ratio-  
nes vitæ suæ sit positurus attendit. Et si cuncta pra-  
va opera, quæ intelligere potuit, devitavit; ven-  
turus tamen coram districto iudice illa magis quæ in  
semetipso non intelligit, pertimescit. Quis enim  
considerare valeat, quanta mala per momenta tem-  
porum ipsis inconstantibus cogitationum motibus  
perpetramus? Facile est enim opera perverfa vitare,  
sed nimis difficile est ab illicita cogitatione cor ter-

Mich. 2. 2. *Et tamen scriptum est: Ne vobis qui cogitatis  
inutile. Et rursum: In die cum iudicabit Dominus*

Rom. 2. 6. *occulta hominum. Qui etiam præmisit: Inter se in-  
vicem cogitationum accusantium, aut etiam defen-  
sionum. Et rursum: Labia dolosa in corde, & corde*

Ps. 11. 4. *locuti sunt mala. Et rursum: Etenim in corde iniqui-  
tates operantur in terra. Humana autem anima se-  
mel æternitatis statum deserens, ad fluxum tempo-  
ralitatis delapsa, hanc mutabilitatem alternantium  
motuum, quam dum caderet volens appetiit, dum  
conatur surgere, cogitur invita tolerare. Inde quip-  
pe punita est, unde delectata: quia inde conversa  
habet laborem certaminis, unde perverfa appetiit  
gaudium voluptatis. Sæpe ergo electis etiam nolen-  
tibus in cogitatione subreptur, quod in se quidem  
solerter inspicunt, & ante Dei oculos quanti sit  
reatus attendunt: & cum de his omnibus semper  
iudicia districta pertimescant, tunc tamen hæc ve-  
hementer metuunt, cum ad solvendum humanæ  
conditionis debitum venientes, districto iudici ap-  
propinquare se cernunt. Et sit tantò timor acrior,  
quantò & retributio æterna viciniore. Ante oculos  
autem cordis nihil inane tunc transvolat de phan-  
tasmate cogitationis: quia subductis è medio omni-  
bus, se & illum tantummodo considerant, cui ap-  
propinquant. Crescit pavore vicina retributione ius-  
titiae, & urgente solutione carnis, quantò magis  
districtum iudicium jamjamque quasi tangitur, tantò  
vehementius formidatur. Et si ea quæ sciunt,  
numquam se prætermisisse meminerunt, formidant  
tamen illa quæ nesciunt: quia videlicet semetipfos  
dijudicare & comprehendere omnino non possunt,  
atque urgente exitu, subtiliori terrentur metu. Un-  
de Redemptor noster solutioni carnis appropin-  
quans, & membrorum suorum servans speciem,  
factus in agonia, cœpit prolixius orare. Quid enim  
pro se ille cum in agonia esset, peteret, qui in ter-  
ris positus, cælestia cum potestate tribuebat? Sed  
appropinquante morte, nostræ mentis in se certa-  
men expressit, qui vim quamdam terroris ac formi-  
dinis patimur, cum per solutionem carnis æterno  
propinquamus iudicio. Neque enim tunc cujuslibet  
anima immerito terretur, quando post pusillum  
hoc invenit, quod in æternum mutare non possit.*

17. Consideramus quippe, quòd viam vitæ præsentis  
nequaquam sine culpa transire potuimus: considera-  
mus etiam, quia nec hoc quidem sine aliquo reatu  
nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota  
pietate iudicemur. Quis enim nostrum vitam præ-  
cedentium patrum valeat vel superare, vel allequitur  
Ps. 142. 4. *Et tamen David dicit: Ne invres in iudicium cum  
servo tuo; quia non iustificabitur in conspectu tuo*

1. Cor. 4. *omnis vivens. Paulus cum diceret: Nihil mihi con-  
scientis sum; cautè subjunxit: Sed non in hoc iustifica-  
tus sum. Iacobus dicit: In multis enim offendimus*

1. Iohan. *omnes. Iohannes dicit: Si dixerimus, quia peccatum  
non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in no-  
bis non est. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt  
columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia sta-  
bunt, si huius pavoris turbine etiam cedri quatun-  
tur? Solutioni ergo carnis appropinquans, non-  
numquam terrore vindictæ etiam iusti anima turba-  
tur. Cui & si quid tranquillum in hac vita sapere*

A potuit, mortis articulo interveniente concutitur,  
ut iure dici debeat: [ *Abominabilis fit ei panis in  
vita sua, & anima eius vobis ante desiderabilis* ]  
Vel certè propter pavoris pœnam hoc, quod illic  
subditur: [ *Appropinquavit corruptioni anima eius,  
& vita illius moriferis.* ] Sed quia iustorum animæ  
à levibus quibusque contagiis, ipso sæpe mortis pa-  
vore purgantur, & æternæ retributionis gaudia jam  
ab ipsa carnis solutione percipiunt: plerumque verò  
contemplatione quadam retributionis internæ etiam  
priusquam carne expolientur, hilarescunt; & dum  
vetustatis debitum solvunt, novi jam muneris læti-  
tia posfruntur, rectè dicitur: [ *Videbit faciem eius  
in iubilo.* ] Vel certè: [ *Liberavit animam suam, ne  
pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.* ]

B Iusti itaque anima in iubilo faciem Dei conspiciunt:  
quia tantum de lætitiæ internæ percipiunt, quantum  
capere vel assumpta vix possit. Ibi igitur lucem vi-  
vens videt: quia spiritalem oculum in radiis æterni  
solis insigit. Ibi lucem vivens videt: quia omni jam  
mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione cal-  
cata, veritati æternitatis inhaeret; eique inhaerendo  
quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis  
assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconver-  
sibilem speciem dum respicit, assumit. Quæ enim ad  
mutabilitatem per semetipsam lapsa est, ad immu-  
tabilitatis statum immutabilem videndo formatur.  
Igitur Eliu de afflicto hoc liberatoque homine, quia  
prius mœroris amaritudinem, & postmodum gaudi-  
um consolationis expressit, aptè subjunxit: [ *Hæc  
omnia operatur Deus tuis vicibus per singulos:* ]

C videlicet conversionis, probationis, & mortis:  
quia per tria hæc, & duris primùm stimulis mœro-  
ris afficitur, & magnis postmodum securitatis gaudi-  
is refocetur. Et quia electi uniuscujusque mens  
iisdem tribus vicibus, id est, vel labore conversio-  
nis, vel tentatione probationis, vel formidine so-  
lutionis atteritur, atque ipsa attritione purgata li-  
beratur, aptè subiungitur: [ *Revocet animas eo-  
rum à corruptione, & illuminet luce viventium.* ]

19. Lux quippe morientium est, quam corporeis oculis  
cernimus. Qui autem adhuc huic mundo vivunt,  
luce morientium tenebescunt. Illuminantur autem  
luce viventium, qui despecto temporali lumine, ad  
splendorem internæ claritatis recurrunt, ut ibi vi-  
vant, ubi verum lumen sentiendo videant: ubi  
non aliud lumen, atque aliud vita, sed ubi ipsa lux,  
vita sit: ubi sic nos lux exterius circumferbat, ut  
interius impleat: sic interius impleat, ut incircum-  
scripta exterius circumferbat. Illuminantur ergo  
hac luce viventium, quam tantò tunc subtilius cons-  
piciunt; quantò nunc ad illam parius vivunt.  
Magna Eliu ac valde fortia protulit: sed hoc unus-  
quisque arrogans habere proprium solet, quòd dum  
vera ac mystica loquitur, subito per tumorem cor-  
dis quædam inania & superba permisceat. Foris enim  
placere appetit in hoc, quod veraciter sentit; & in-  
de mox inanescit à vero, unde per elationis typhum  
recedit ab intimo. Quia enim approbari doctus ex-  
terius quærit, intus plenitudinem, qua docebatur,  
amittit. Unde & Eliu, quem tenere arrogantium  
typum sæpe jam diximus, postquam multa sapien-  
tiæ profunda digessit, subito post eandem sententias  
veraces ac mysticas, fastu scientiæ inflatus extollit-  
tur; cuius mox inflationis merito ejus sensus ad in-  
ania verba derivatur. Nam subdidit, dicens: [ *At-  
tende Job, & audi me, & tace dum ego loquor. Si  
autem habes quod loqueris, responde mihi: loquere,  
volo enim te apparere iustum. Quid si non habes, au-  
di me; tace, & docebo te sapientiam.* ] Qualem se  
apud se habeat, hac locutione manifestat, qua di-  
cit: [ *Attende Job, & audi me, & tace dum ego lo-  
quor.* ] Immenfa enim superbia est, à leniore sibi  
reverentiam exigere, & silentium imperare meliori  
se. Quia autem prædicatores iusti dum quoslibet

corripiunt, ſape per humilitatis gratiam ad cogitationum ſuarum intima revertuntur, atque in eo ipſo quod corripiunt, ne quid fortaliſſe fallantur exquirunt, correptiſque licentiam tribuunt, ut ſi quid pro ſeipſis juſtius ſentiant, fateantur; hoc nonnumquam etiam arrogantes imitari appetunt. Pauliſper enim in verbis elatione poſtponita, quaſi eorum quos corripiunt, ſi forte reperire poterint, juſticiam quaerunt: non quia ita ſentiant, ſed quia ornari per humilitatis ſpeciem concupiſcunt. Metuunt enim, ne ſuperbi ac tumidi, quia ſunt, eſſe videantur. Unde Eliu ſtatim ſubdidit, dicens: [ Si autem habes quod loquaris, reſponde mihi: loquere, volo enim te apparere juſtum.] Sed quia hæc ex corde non protulit, audire quod quaſierat non expectavit. Nam illico ſubjunxit: [ Quod ſi non habes, audime; tace, & docebo te ſapientiam.] Qui enim veraciter quaerunt audire quod juſtum eſt, æquanimitè expectant audire quod quaerunt. Eliu autem, quia veraciter requiſitionis verba non protulit, dici quod quaſierat non permittit, ſed mox quod intrinſecus geſtabat, erupit, qualemque ſe in oculis ſuis habebat,

A oſtendit, dicens: [ Tace, & docebo te ſapientiam.] Arrogantes enim viri quando aliquid humiliter ſonant, diu in ejuſdem humilitatis ſpecie non perdurant. Cùm fortaliſſe quaerunt ut audiant, mox loquendo obviant ne doceantur: quia ſuperficiem vocis quam protulerant, citius oſtentationis intentio comprimit, quæ ex radice cordis exurgit: atque eamdem humilitatis formam ſpecietenus ſumptam, eò celerius probant quia aliena eſt, quò illam diutius tenere non poſſunt. Ecce Eliu juſticiam cùm requirit ut diſcat, promittit quia doceat. Ecce quaſi requirendo quod juſtum eſt, aliquid planum ſonuerat lingua; ſed mox celare non potuit hoc quod altum tumebat conſcientia. Nam repente ſubjunxit: [ Tace, & docebo te ſapientiam.] Quia verò arrogantes omnes in eo quod proferunt, typho ſuperbiæ inflantur, & velut in alto poſiti, ſic doctorum ſpeciem ſumunt, ac ſi eorum verba dignatione quadam ſuper indignos homines calitus effundantur, bene à ſcriptore hujus hiſtorie verſus interpretatur, quo dicatur.

C A P. XXXIV. **P**ronuncians itaque Eliu, etiam hæc locutus eſt: Audite ſapientes verba mea, & eruditi auſcultate me. Auris enim verba probat, & guttur eſcas gultu diiudicat. Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus, quid ſit melius: quia dixit Iob, Injuſtus ſum, & Deus ſubvertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium eſt. & violenta ſagitta mea abſque ullo peccato. Quis eſt vir, ut eſt Iob, qui bibit ſubſannationem quaſi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? Dixit enim, Non placebit vir Deo, etiam ſi cucurrerit cum eo. Ideo viri cordati audite. Abſit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingularum reſtituet eis. Vere enim Deus non condemnabit fruſtra, nec Omnipotens ſubvertet iudicium. Quem conſtituit altum ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt? Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & ſtatum ad ſe trahet. Deſciet omnis caro ſimul, & homo in cinerem revertetur. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & auſculta vocem eloquii mei. Numquid qui non amat iudicium, ſanari poſteſt? Et quomodo tu eum qui iuſtus eſt, in tantum condemnas? Qui dicit regi, apoſtata; qui vocat duces impios. Qui non accipit perſonam principum, nec cognovit tyrannum, cùm diſceptaret contra pauperem, opus enim manuum eius ſunt univerſi. Subito morientur, & in media nocte curvabuntur populi, & pertranſibunt, & auferent violentum abſque manu. Oculi enim eius ſuper vias hominum, & omnes grefſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebra, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Neque enim ultra in hominis poteſtate eſt, ut veniat ad Deum in iudicium. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. Quaſi impios percuffit eos in loco videntium. Qui quaſi de induſtria reſceſſerunt ab eo, & omnes vias eius intelligere voluerunt, ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum. Ipſo enim concedente pacem, quis eſt qui condemnet? Ex quo abſconderit vultum ſuum, quis eſt qui contempletur eum? Et ſuper gentes, & ſuper omnes homines. Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Quia ergo ego locutus ſum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si erravi, tu doce me: ſi iniquitatem locutus ſum, ultra non addam. Numquid à te Deus expetit eam, quia diſplicuit tibi? Tu enim cepiſti loqui, & non ego. Quòd ſi quid noſti melius, loquere. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir ſapientis audiat me. Iob autem ſulte locutus eſt, & verba illius non ſonant diſciplinam. Pater mi, probetur Iob uſque ad finem: ne deſinas ab homine iniquitatis. Qui addidit ſuper peccata ſua blaſphemiam: inter nos interim conſringatur, & tunc ad iudicium provocet ſermonibus ſuis Deum.

## CAPUT VIII.

21. **P**ronuncians itaque Eliu, etiam hæc locutus eſt. Quid enim per huius pronunciationis vocabulum, niſi inflatio elationis oſtenditur? ut verba, quæ de alta ſuperbiæ radice veniebant, cum quadam quaſi altitudine & diſtinctione procederent. Ita videlicet prædicare omnes arrogantes ſolent. Cum quodam enim factu proferunt hoc, quod ſingulariter intellexiſſe ſe credunt: & fortaliſſe tunc humilitatem prædicant, cùm per elationis typhum exempla ſuperbiæ oſtentant. Unde fit, ut eorum prædicatio concors ſibi manere non poſſit: quia id quod rectum loquentes ſeminant, perverſè tumentes impu-

C gnant. Humilibus namque auditoribus verba ſua non compatiendo, ſed vix dedignando largiuntur. Longè quippe ſe in altum poſitos æſtimant, & ſuper eòſdem auditores ſuos, quaſi præcedentes doctrinæ reſpectum vix de ſummo dignanter inclinant. At contra verba juſtorum ex radice veniunt humilitatis, ut fructum valeant ferre pietatis: & quidquid ſalubre potuerint, non tumendo, ſed compatiendo ſubministrant. Per verba quippe charitatis vel ſe in auditoribus ſuis, vel auditores ſuos in ſe ita transformant, ac ſi & illi per iſtos hoc quod audiunt doceant, & iſti per illos hoc quod docendo proferunt, diſcant. Eliu ergo typhum arrogantium tenens, & cum pronunciationis oſtentatione inchoans, quid dicat

dicat audiamus. Sequitur: [ *Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat.* ] Ac si diceret: Sicut nec auris escas, nec guttur verba cohercet; ita nec stultus quisque sententiam sapientis intelligit. Sapientes ergo atque eruditi audite quod dico, qui potestis ea quæ fuerint dicta, cognoscere. Videamus igitur quantum tumeat, qui verba sua non nisi à sapientibus audiri decenter existimat. Verus autem sapientiæ prædicator dicit: *Sapientibus & insipientibus debitor sum.* At contra arrogans in prædicatione sua aures tantummodo sapientium expectat: quia non ideo prædicat, ut possit quolibet sapientes efficere, sed ideo sapientes querit, ut possit, quod senserit, superbiendo monstrare. Sicut enim superius dictum est, non illos appetit erudire, sed se ostendere: nec intuetur, quam iusti qui audiunt, fiant, sed ipse quam doctus cum auditor appareat. Quia verò prædicationem arrogantium nullus admittet, si non & aliquid de humilitatis imagine permiscerent, bene Eliu postquam per tumida verba se extulit, rursus quasi ad æqualitatis concordiam condescendit, dicens: [ *Iudicium eli gamus nobis, & inter nos videamus, quid sit melius.* ] Sed utrum hoc iudicium ex humili corde quaesierit, facile cognoscimus, si subsequentiæ eius verba pensemus. Sequitur: [ *Quia dixit Iob, Iustus sum, & Deus subvertit iudicium meum. In iudicando enim me, mendacium est; & violentia sagitta mea absque ullo peccato.* ] Hæc beatum Job dixisse queritur, quæ tamen quia minimè dixerit, requisita sacra historia verba testantur. Sed qui iudicium æquè quaesierat, ex culpa quam finxit, protinus sententiam promulgat. Nam sequitur.

*Quod superbi sine ullo timore Deum derideant, ita blasphemias prohibito habentes, sicut aquam deglutienti in forbendo non moratur.*

CAPUT IX.

**Q**uis est vir, ut est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? Ecce iudicium querens, iudicium protulit, & post allegationem suam nulla beati Job expectata sententia, eum damnatione dignum ex reproborum societate iudicavit. At enim: [ *Quis est vir, ut est Iob?* ] Ut utique subaudiamus, nullus. Atque subiungit: [ *Qui bibit subsannationem quasi aquam.* ] Aqua autem cum bibitur, ita liquidè sumitur, ut ad forbendum nulla sui pinguedine retardetur. Subsannationem verò ut aquam bibere, est Deum sine aliquo obstaculo cogitationis irridere, ut in eo quod superbit lingua vel conscientia, nulla trepidatio contradicat. Hæc autem eius sententia super beatum Job quantum à tramite veritatis exorbitet, illa Domini attestatione cognoscimus, qua ad diabolum dicit:

*Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra?* Ecce quem Veritas dicit absque

comparatione iustum, eum Eliu asserit absque comparatione peccatorem. Sed hæc esse propria arrogantium prædicatorum solent, ut etiam afflictos auditores suos magis districtè corripere appetant, quam blandè refovere. Plus enim student, ut mala objurgando increpent, quam bona laudando confirmant. Superiores quippe videri desiderant, & magis gaudent cum eorum animum ira elevat, quam cum charitas exæquat. Semper invenire optant, quod increpando rigidè feriant. Unde scriptum est: *In ore fusti virga superbia: quia videlicet percutere rigidè scit, sed compati humiliter nescit.* Solent etiam prædicatorum iusti auditores suos objurgando corripere, solent in eorum vitis districta increpatione scire. Unde scriptum est: *Verba sapientium*

S. Greg. Tom. I.

quasi stimuli, & sicut clavi in altum defixi. Rectè autem eorum verba clavi vocati sunt: quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. An Joannis verba clavi non erant, cum dicebat: *Progenies viperarum, quis vobis demonstravit fugere ab ira ventura?* An verba Stephani clavi non erant, cum dicebat: *Vos semper Spiritu sancto resistitis?* An verba Pauli clavi non erant, cum dicebat: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit? Et rursus cum Corinthiis diceret: Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Sed necesse est, ut cautè videamus: quia prædicatorum iusti in ipsis quos corrigunt, cum ex parte alia fortasse aliquid bonæ operationis inveniunt, ad eadem objurgationis verba cum quanta dispensatione descendunt. Ecce Paulus Corinthios docens, eosque in culpa divisionis aspiciens exorsus est, dicens: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, que data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus divites facti estis in illo.* Multum profectò laudavit, quos in Christo divites in omnibus dixit. Et ecce adhuc blandimenta multiplicat, dicens: *In omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis. Testimonium Christi confirmatum est in vobis dixit, ac si opere peregerint, quod doctrinà didicerant. Et mox in laudis consummatione subiungit: Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Iesu Christi.* Quælo te Paulè, istis tot favoribus jam quò tendas, inlines. Et ecce paulò post sequitur: *Obsecro vos autem fratres, per misericordiam Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt.* De quibus contentionibus paulò post subdidit, dicens: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Ecce quibus laudibus ad aperta correptionis verba descendit: ecce in corde audientium, quam blanda favoris manu viam districtæ increpationis aperuit. Prius namque superborum brachia studuit per blandimentorum vincula religare, ut postmodum potuisset vulnus superbiæ ferro correptionis incidere. Erant profectò in Corinthiis & quæ laudari debuissent, erant & quæ argui. Peritus itaque medicus prius sana membra, quæ circa vulnus erant, laudando palpavit, & postmodum putridum sinum vulneris feriendo transfixit. Haber ergo in sanctis prædicatoribus ad utraque aptum doctrinæ regulæ pondus suum, ut & recta facientes nutriant, & perversa animadvertentes abscindant.

*Quomodo iusti aliquando severe corrigunt, & quanto moderamine sancti in correptione nitantur.*

CAPUT X.

**N**ONNUMQUA M verò etiam prædicatorum iusti rigidè feriant. Sed aliud est, cum iustitia stimulat, aliud cum superbia inflat. Iusti cum severe corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt. Nam sæpe pro inquietudine refrænanda pravorum, duriciam districti rigoris assumunt, sed intus charitatis igne liquefiunt, atque eorum amore ardent, in quos aspera correptione faviunt; seque etiam eis intrinsecus in secreto cordis humiliant, quos foris duris animadversionum stimulis, quasi despiciendo castigant. Plerumque autem & non despiciendo despiciunt, & non desperando desperant: ut tantò eos celerius à culpa reviviscere ac resillire faciant, quantò jam quasi viciniùs mortis foveam ostentant. Sæpe etiam quodam decenti moderamine suas culpas coram discipulis indicant,

Y 7

ut illi audientes discant, quomodo semetipſos de ſuis actionibus ſubtiliter reprehendant. Tanta autem diſpenſatione ſe temperant, ut neque cū ſe erigunt, intrinſecus rigidi ſint; neque rurſum cū ſe humiliant, extrinſecus remiſſi: quia & in diſciplina humilitatem cuſtodiant, & in humilitate diſciplinam. Paulus diſciplinam tenuit, cū Corinthiis diceret: *Cum enim ſi inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Sed humilitatem in diſciplina non perdidit: quia deprecando pramiſit, dicens: *Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Rurſum humilitatem tenuit, cū eiſdem Corinthiis loquens paulò latius fortasſe, quàm voluerat, ſemetipſum reprehendit, dicens: *Factus ſum inſipientis.* Sed diſciplinam in hac humilitate non perdidit, quia illico adiunxit: *Vos me coegitſtis.* Exemplum magnæ humilitatis exhibuit, cū diſcipulis dixit: *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſervos veſtros per Chriſtum.* Sed in hac humilitate diſciplinæ juſtitiā non amiſit, qui eiſdem delinquentibus dicit: *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* & cetera. Sciunt ergo prædicatores ſancti utroque moderamine artem magiſterij temperare, & cū delinquentium reatus inveniunt, ſciunt modò ſeverè corripere, modò humiliter deprecari. Sed cū arrogantes viri eos imitari appetunt, ſumunt ab eis aſpera verba correptionis, & ſumere ab eis veraciter neſciunt preces humilitatis. Magis enim terribiles volunt eſſe, quàm mites; & ideo diſcunt unde ſe erigant, & diſcere negligunt, ut animum ſubmittant. Cumque admonere delinquentes placidè neſciunt, nimio rigoris uſu per invectionis iracundiam etiam contra rectè agentes eſtremantur. Quorum iſte Eliu ſpeciem tenens, beatum Job non refovet, ſed objurgat, dicens: *[Quis eſt vir, ut eſt Job, qui bibit ſubſannationem quaſi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?]* Et quia aliena ſemper eſt à veritate ſuperbia, mox & ad falſa prorumpit, dicens: *[Dixit enim, Non placebit vir Deo, etiam ſi cucurrerit cum eo.]* Quod profectò, quia minimè dixerit, quiſquis beati Job verba legit, agnoſcit. Sed qui ideo loquitur, ut ſemetipſum offendendo ſuperbiat, quid mirum, ſi in altero fingit quod reprehendat? Quomodo enim veritati cohareat in verbis increpationis, quem intra ſemetipſum longè ab eadem veritate dirimit tumor mentis? Sequitur: *[Ideo viri cordati audite me.]* [Ecce iterum falſu ſuperbiæ inflatus, eos tantummodo, qui quaſi dignè intelligendo, ſe aſſequi valeant quaerit, & ſic quod ſentiebat erumpit, dicens: *[Abſit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias ſingularum veſtinet eiſ.]* Bene dixit, quia in omnipotente Deo iniquitas vel impietas non eſt. Sed in hac vita nequaquam ſemper hoc agitur, quod ſubjunctum: quia juxta opus ſuum ſingulis, & juxta vias proprias reddit. Nam & multos illicita ac perverſa perpetrantes gratuito prævenit, atque ad opera ſancta convertit, & nonnullos rectis actibus deditos, flagello interveniente corripit, ac ſi placentes quaſi diſpliceant affligit, Salomone atteſtante, qui ait: *Sunt juſti quibus multa eveniunt, quaſi opera egerint impiorum; & ſunt impij, qui ita ſecuri ſunt, ac ſi juſtorum facta habeant.* Quod nimirum omnipotens Deus inæſtimabili pietate diſpenſat, ut & juſtos flagella crucient, ne opera extollant; & injuſti ſaltem ſine pœna hanc vitam peragant; quia ad tormenta, quæ ſine fine ſunt, malè agendo feſtinant. Nam quia aliquando juſti nequaquam juxta opera flagellantur, hac ipſa hiſtoria quam tractamus, oſtenditur.

A Neque enim idem beatus Job pro culpa fuerat flagellatus, qui arte flagelli ſtimulum ipſo judice atteſtante laudatus eſt. Verius ergo Eliu diceret, ſi dixiſſet: *Quia in omnipotente Deo impietas atque iniquitas non eſt, etiam cū juxta vias proprias hominibus reddere non videtur.* Nam & quod à nobis non intelligitur, ex occulto judicij non iuſta lance proferitur. Quia verò prædicatores arrogantes dum multa inania ſpargunt, etiam ſæpe vera ac ſolida proferunt, Eliu rectè ſubjungit: *[Verè enim Deus non condemnabit fruſtra, nec Omnipotens ſubvertet judicium.]* Ad diabolum Dominus dixit: *Commoviſti me adverſus eum, ut affligerem eum fruſtra.* Eliu autem dicit: *[Quia non condemnabit Dominus fruſtra.]* Quod utique diſcordare dicitis Veritatis creditur, niſi ſubtili conſideratione penſetur. Aliud namque eſt damnare, aliud affligere. Affligit ergo juxta aliquid fruſtra, ſed fruſtra non damnat. An non juxta aliquid fruſtra Job affligerat, cū non debeatur vitium, ſed meritum augebatur? Fruſtra enim condemnare non poteſt, quia damnatio fieri non ex parte ad aliquid poteſt, quæ videlicet in extremo punit omne quod hiæ quiſque inique commiſerit. Nec omnipotens Deus ſubvertit judicium: quia etſi minùs recta videntur eſſe quæ patimur, rectè tamen in occulto examine decernuntur. Sequitur.

C *Quòd ad amorem ſuum nonnullos Deus & corpore & ſpiritu trahit, ut nihil caro, nihil mens de exterioribus appetat.*

## CAPUT XI.

Q *Vem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt?* Ut videlicet ſubaudias, nullum. Per ſe quippe mundum regit, quem per ſe condidit: nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Sed hæc ideo colliguntur, ut liquidè indicet, quia omnipotens Deus, ſi per ſemetipſum regere non negligit quod creavit, quod bene creavit, utique bene regit: quia quod piè condidit, impiè non diſponit; & qui necdum facta curavit ut eſſent, quæ ſunt facta non deſerit. Quia ergo præſens eſt in regimine, qui auctor exiſtit in creatione, ideo curam noſtri non præterit. Unde & aptè ſubjungit: *[Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet.]* Curvum cor eſt, cū ima appetit: dirigitur, cū ad ſuperna ſublevatur. Si ergo homo cor ſuum ad Dominum dirigit, ſpiritum & flatum illius Dominus ad ſe trahit. Spiritum videlicet pro internis cogitationibus, flatum verò qui per corpus trahitur, pro externis actionibus ponit. Deo ergo ſpiritum hominis & flatum ad ſe trahere, eſt ad converſionem ſui deſiderij, & interiora noſtra & exteriora commutare, ut nihil jam menti exteriori libeat, nihil caro inferiori, vel ſi appetit, adipiſci conetur; ſed omne quod homo eſt, ad eum videlicet à quo eſt, & interiori deſiderando fervet, & exteriori ſe edomando conſtringat. Unde & aptè ſubjungit.

*Quòd Sancti ſpiritu humilitatis taſti, in nulla voluptate obediunt carni, & hic moriendo mundo, vitiorum appetitus conſideratione diſſolutionis ſuæ in cinerem redigunt.*

## CAPUT XII.

D *Eficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem revertetur.* Simul enim omnis caro deſicit, quando jam nullis ſuis motibus ſervit: quia præſidens ſpiritus cuncta ejus fluxa reſtringit, & quodam diſtinctionis ſuæ gladio omne quod in illa malè vivebat, interficit. Hoc nimirum diſciplinæ gladio ſemetipſum Hieremias interfecerat, cū dicebat:

Eccle.  
8. c.

*Hiere. 31. d.* Postquam convertisti me, egi poenitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Quid enim in femore, nisi voluptas carnis accipitur? Et quid est quod ait: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum; nisi quoddam postquam superna spiritaliter vidit, omne quod in se inferius carnaliter vivebat, extinxit; ut quantum magis summa patefcerent, tantum amplius ima quae tenuerat, non liberent? Nam quantum incipit quisque superius vivere, tantum & inchoat inferius interire. Juxta affectum namque carnalis operationis, omnis caro Pauli simul interierat, cum dicebat: Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. Bene etiam Eliu hoc loco subdidit: [Et homo in cinerem revertetur.] In peccato enim quisque positus, mortalitatis suae obliviscitur, & terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conversionis vero suae gratiam, cum humilitatis spiritu tangitur, quid esse se aliud, quam cinerem recordatur? Jam in cinerem David reversus fuerat, cum dicebat: Memento Domine, quod pulvis sumus. Abraham in cinerem reversus fuerat, dicens: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Et si viventem carnem necdum in terra mors solverat, hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione praevidebant. Hinc alius dicitur: Ausferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Quid autem eorum spiritus, nisi spiritus superbiae nominatur? Tollatur ergo spiritus eorum, ut deficient, id est, subducto superbiae spiritu, nihil se de se esse cognoscant. Et revertantur in pulverem, id est, humiliantur ex infirma conditione. Propter hunc pulverem, ad cuius memoriam, qui semetipsos considerant, revocantur, per Sapientiam dicitur: Iusti fulgebunt, & sicut scintillae in arundinetis discurrunt. Sancti enim viri dum peccatoribus permiscerentur, eos exemplorum suorum igne succendunt, atque per omne quod nitent, in cinerem redeunt: quia pietatis flammam consumpti, dum infirmitatem conditionis suae conspiciunt, nihil aliud quam favillam se esse cognoscunt; ut ad superbiae suae duritiam resoluti, per poenitentiam dicant id quod supra protulimus: Memento Domine, quia pulvis sumus. Bene ergo dicitur, quia cum ad se spiritum hominis Dominus trahit, deficit omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur.

Quod superbia ubi nasci intelligitur, eradicanda est: quia difficile inveterata deprehenditur.

CAPUT XIII.

*H*æc Eliu & vera sunt & magna, quæ dicit: sed quia malè mox ex eo quod bene sensit intumuit, verbis sequentibus prodit, dicens: Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquij mei. Habent hoc proprium omnes arrogantes, ut cum fortasse acutum aliquid sentiunt, inde mox ad vitium elationis erumpant, sensusque omnium in sui comparatione despiciant, seque in suo iudicio aliorum meritis anteponan. Quibus contingit miseris, ut plus videndo tenebescant: quia dum subtilia attendunt, semetipsos intueri nesciunt; & quod intelligentiam acutius percipiunt, eod per superbiam deterius cadunt. Qui bene quidem subtilia conspicerent, si in eo quod proferunt, se viderent. Superius namque Eliu dixerat: Si habes quod loquaris, responde mihi: loquere. volo enim te apparere iustum. Nunc autem ait: [Si habes intellectum, audi quod dicitur.] Ecce quomodo paulisper elatio per verborum incrementa proficit. Superius dubitavit si posset beatus Job proferre quod iustum est; nunc verò discutit, si hoc quod dicitur, saltem possit audire. Ibi dixit: Si habes quod loquaris, responde. S. Greg. Tom. I.

*A* de mihi. Ac si diceret: Dic aliquid, si tamen dignus poteris esse qui dicas. Hic autem ait: [Si habes intellectum, audi quod dicitur.] Ac si aperte dicat: Audi me, si tamen dignus poteris esse qui audias. Isti sunt quotidiani defectus, qui in cordibus reproborum fiunt, quibus indefinenter ad deteriora descendunt: quia dum minora incaute negligunt, ad majora perniciosè prorumpunt. Jam & hoc de superbia fuerat, quod beatus Job, id quod iustum est, loqui posse dubitabat. Sed dum hanc in semetipso considerare negligit, ad nequiora pervenit, ut non solum posse ab eo dici quod iustum est dubitet, sed etiam dicentem se iusta ab eo intelligi posse desperet. Unde vitium superbiae ab ipsa mox radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur: ne proventus vigeat, ne usum roboretur. Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium quantum magis patimur, tantum minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quod se hæc latius dilatat, eod vehementius lumen angustat. Paulisper ergo elatio in precordiis crescit, & cum se vastius extenderit, oppressa mentis oculum funditus claudit, ut captivus animus typhum elationis & pati possit, & tamen id quod patitur, videre non possit. Sed quia arrogantes viri aliquando, ut diximus, recta non rectè sentiunt, & bona invenire non verentur, sed hæc bene proferre contemnunt; Eliu post elationis typhum, quo dixerat: [Si habes intellectum, audi quod dicitur.] subdit dicens: [Numquid qui non amat iudicium, sanari potest? Quomodo tu cum qui iustus est, intantum condemnas?] Bonam quidem sententiam protulit, sed beato Job proferenda non fuit. In omni enim quod dicitur, summopere intuendum est, quid dicatur, cui dicatur, quando dicatur, quomodo dicatur. Eliu autem attendit quid diceret, sed cui diceret, non attendit. Beatus quippe Job amabat iudicium; quia causas suas cum Domino pensare subtiliter noverat. Nec condemnaverat eum qui iustus est, sed cur sine peccato percussus fuerat, in dolore positus cum humilitate requirebat. Amat iudicium, quisquis vias suas subtiliter discutit, & secretarium cordis ingressus, quid Dominus ipsi tribuat, quid ipse Domino debeat pensat. Quod beatus Job quomodo non fecerat, qui tam crebra sacrificia in expiatione filiorum etiam pro cogitationibus offerebat? Quia ergo Eliu dixit, quod is qui iudicium non amat, sanari non possit, arguens beatus Job quoddam iudicium non amaret, & quia cum qui iustus est, condemnasset; illico ejusdem iusti, id est, Domini iustitiam subdit, dicens.

Quod ex imitatione diaboli apostasia culpam incurunt, qui honoris sui gloria latentes, præesse hominibus potestate & dominatione delectantur.

CAPUT XIV.

*Q*uæ dicit regi, apostata: qui vocat duces impios. Sæpe novimus, quod plerique, qui præfunt, inordinatum sibi metum à subditis exigunt, & non tam propter Dominum, quam pro Domino venerari volunt. Intus enim se timore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt; nec condescendendo consulunt, sed dominando premunt: quia videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se illis, quibus eos præesse contingit, non agnoscunt. Contra hunc tumorem per Ecclesiasticum librum dicitur: Duce te confiterentur; noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis. Hunc tumorem Dominus per Prophetam in pastoribus increpans, ait: Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Ipsa enim bona, quæ subditis dicunt, dominando potius, quam con-

Y y ij

fulendo proferunt: quia videlicet quidquam eis quasi ex æquo dicere, semetipſos exultant deſeſſe. Singularitate enim gaudent culminis, & non æqualitate conditionis. Sed quia hæc tumentia corda rectorum ſubtiliter Dominus penſat, bene contra eos dicitur: [*Qui dicit regi, apoſtata.*] Unuſquifque enim ſuperbus rector toties ad culpam apoſtaſiæ dilabitur, quoties præſeſſe hominibus delectatus, honoris ſui ſingularitate lætatur. Sub quo enim ſit non conſiderat, & quod æqualibus quaſi non ſit æqualis exultat. Unde autem hæc vitiōrum radix pullulac in corde regentium, niſi ex imitatione illius, qui deſpectis angelorum ſocietatibus, dixit: *Ascendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero Altifſimo?* Quia ergo unuſquifque rector quoties extollitur in eo quod ceteros regit, toties per lapſum ſuperbiæ à ſummi rectoris ſervitio ſeparatur: & cum æquales, ſibi ſubditos deſpicit, ejus ſuper ſe dominium, ſub quo omnes æquales ſunt, non agnoſcit, rectè dicitur: [*Qui dicit regi, apoſtata.*] Quia verò cum dominando præſunt, exemplo ſuæ ſuperbiæ ſubditos ad impietatem trahunt, aptè ſubjungitur.

Eſai. 14.  
c

*Quod impij duces ſint, qui verbo & exemplo ducatum præbent erroris.*

CAPUT XV.

30. **Q**Uæ vocat duces impios] Ad viam namque pietatis ducerent, ſi ſubditorum oculis, humilitatis exempla monſtrarent. Dux autem eſt impius, qui à tramite veritatis exorbitat; & dum ipſe in præceps ruit, ad abrupta ſequentes invitat. Dux eſt impius, qui per tumoris exempla viam oſtendit erroris. Paulus dux eſſe impietatis metuebat, cum poteſtatis ſuæ celſitudinem reprimebat, dicens: *Neque rentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cum poſſimus oneri eſſe. ut Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus in medio veſtrum parvuli.* Parvulus in medio eorum factus fuerat, quia timebat, ne ſi inter diſcipulos honorem ſuæ celſitudinis vindicaret, exempla elationis oſtenderet. Timebat nimirum, ne dum ipſe ſibi poteſtatem paſtoralis potentie quæreret, grex ſubditus per abrupta fequeretur, & ad impietatem ſequentes duceret, qui pietatis officium ſuſcepſiſſet. Unde neceſſe eſt, ut is qui præeſt, quæ exempla ſubditis præbeat, ſolenter attendat; & tantis ſe ſciat vivere, quantis præeſt; ac vigilanter inſpiciat, ne in eo quod prælatus eſt, intumeſcat; ne jura debite poteſtatis immoderatiùs exigat; ne diſciplinæ jus mutetur in rigorem ſuperbiæ: & unde à perverſitate ſubditos reſtringere poterat, inde magis intuentium corda pervertat; ne, ut dictum eſt, impietatis dux per officium pietatis exiſtat. Non autem debet hominum ducatum ſuſcipere, qui neſcit homines bene vivendo præire; ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod reſecare debuit, ipſe committat. Hinc inde ergo ſe, qui præſunt, circumſpiciant, ut ſibi & ſubditis vivant: ut bonum quod faciunt, &

1. Theſſ.  
2. b

A intra ſinum mentis abſcondant, & tamen ex eo ad profectum ſequentium exempla rectæ operationis impartiant; ut ſubditorum animadvertentes culpas corrigant, nec tamen per vim ejuſdem animadvertentiſis intumeſcant: ut quædam leniter correpta tollerent, nec tamen diſciplinæ vincula eadem lenitate diſſolvant: ut quædam tolerando diſſimulent, nec tamen ea creſcere diſſimulando permittant. Laborioſa ſunt iſta, & niſi divina gratia fulciat, ad cuſtodiendum diſſicilia. Rectè verò de adventu diſtricti judicis per Sapientie librum dicitur: *Horrendè & cito apparebit, quoniam judicium duriffimum his qui præſunt, fiet.* Quia ergo plerumque per poteſtatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis, atque apud diſtrictum judicem ipſa elatio impietas æſtimatur, bene de Domino per Eliu dicitur: [*Qui vocat duces impios.*] De ipſo quippe ducatu dum ſuperbiunt, exemplo ſuo ſubditos ad impietatem trahunt. Unde magnopere curandum eſt, ut qui regendis hominibus præſertur, apud ſe intra ſecretarium mentis in cathedra præſideat humilitatis. Cumque judicanti ei à ceteris foris aſſiſtitur, vigilantem oculo inceſſanter aſpiciat, cui quandoque judici ipſe de his judicandus aſſiſtat: ut quando nunc ante eum quem non videt, ſollicitius trepidat, tantò eum cum viderit, ſecurior cernat.

Sap. 6. a

*Quod rectores Eccleſiæ ſollicitè cogitare oporteat, quoniam de animabus eorum qui ſibi commiſſi ſunt, in judicio reddent rationem.*

CAPUT XVI.

**P**ENSET ergo, qui ad ſatiſfaciendum diſtricti judici de ſua tantummodo anima fortallè vix ſufficit, quia propter regendis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot ſolus animas habet. Quæ nimirum cogitatio, ſi aſſidue mentem excoquit, omnem ſuperbiæ tumorem premit. Et rector providus tantò jam neque rex apoſtata, neque dux impius vocabitur, tantò ei cogitatione ſollicita, poteſtas quæ accepta eſt, non honor, ſed onus æſtimatur. Nam cui eſſe nunc judicem libet, huic videre tunc judicem non libet. Numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ poteſtatis amore perpetrantur. Tunc ſolum verò poteſtas bene geritur, cum non amando, ſed timendo retineatur. Quæ ut miniſtrari rectè valeat, oportet primùm, ut hanc non cupiditas, ſed neceſſitas imponat. Percepta autem nec pro formidine debet deſeri, nec ex libidine amplecti: ne aut pejus quis quaſi ex humilitate ſuperbiat, ſi divinæ diſpenſationis ordinem fugiendo contemnat: aut eò jugum ſuperni rectoris abjiciat, quò cum ſuper ceteros privatam regem delectat. Poteſtas ergo cum percipitur, non ex libidine amanda eſt, ſed ex longanimitate toleranda; ut inde tunc ad judicium ſalubriter lenis ſit, unde nunc ad miniſterium patienter gravis innotefcit.

